

Vascula concreto (vel concretae) fragilis (vel fragili) de pulvere cretae.

Verum vel sic plura in his Distichis supersunt, quae immedicabilia videntur.

CCCCIII.

R. 2000 Codex membraneus lat. Sec. XV. ineuntis Folior. 156. f. per duas columnas non una manu, probe tamen exaratus, rubricis enotatus, et, ut pluribus locis praefert, quondam *Fratrū domus Porte beate Marie virginis in Axpach ordinis Carthusiensium Prouincie Austriae* ita orditur: *Incipit praefatio Ysidori in explanacione hystorie Diuine legis.* Habemus itaque sancti doctique Praefulis *Commentaria in V. T.* prout in edit. *Paris. 1601. f. p. 413.* adpellantur, et quidem integra, nec spernendi exempli, ut enim pluries peccet, sufficit tamen etiam quaedam lectioni editae praeferenda. Ita in *Praef. malim canorum aliquid resonant, quam sonorum aliquid resonant; item non nostra legat — relegat, quam non nostra legit — relegit. Cap. I. tenebrosū et profundū, quam tenebrosū et fluidū; item in ecclesia lucis nomine, quam lucis nomine &c.* Ad calcem adscripta sunt XLVIII. illa Disticha in *Bibliothecam et Pigmentarium* eodem modo, ut supra dixi, se habentia, quae cum pariter excipiat miniata illa Clausula: *Explicit liber ysidori in explanacione hystorie legis diuine*, lectioque varia passim consentiat, dubium mihi vix

est, pro more, quo Coenobia Codices sibi communicabant, hunc e superiore descriptum fuisse.

II. fol. 85. p. 2. vacua curren- te calamo adscripta est *Expositio. V. I. C. V. Isaiae: Cantabo dilecto meo Canticum*, qua verba haec singula mystice expenduntur.

III. fol. 86. *Incipit Honorius super Canticum canticorum.* Frequenter et superiore, et hoc *Vol.* recensum est Opus istud, motumque dubium, an *Honorius* hic re ipsa sit *Augustodunensis* ille Literatoribus cognitus. Initium in hoc Exemplo pariter est: *Symoni donum sapientie cum Salomone possenti &c.* memoraturque mox eius *predecessor beate memorie venerandus Abbas Chuno.* Multa ceterum Inscriptionum miniatarum differentia, nec rara, si cum *Editis Bibl. PP. Lugd. T. XX. p. 1153.* contendas, lectionis varietas. Ad calcem rubro: *Explicit Honorius super Canticorum. Cibus est perfectorum. Amen.*

IV. fol. 154. *Concordantie veteris ac noui testamenti.* Ita concinnatae, ut ab Annuntiatione aduentus Christi usque ad aduentum Iudicis singulis Mysteriis adcommodetur, quidquid in Lege veteri aliquam habet Figurae speciem. Ineunt hoc modo: *Annunciatio filij dei. Conceptio virginis Marie. Nunciatur Abrabe ysaac natiuitas Gen. 17. Predicit angelus parentibus ortum Sampsonis Judic. 13. Datur Gedeoni signum in vellere Judic.*

Judic. 6. &c. In summa ora pag. ult. legitur Hilprandus, fortassis autor, mihi ignotus; inferne vero Carthusiani Aypacenses Fundatoribus suis Domino Haidenrico de Meyssaw ac Dominae Anne de Chunring conthorali sue requiem aeternam precantur.

O lyben chynder der krystenbeyt!
 Hebt an myt groser trawrikeyt,
 Vnd zecht, wy zych dy steyn czu clyben han,
 Der toten greber zyn auf getan
 Vor groser marter bytterkeyt,
 Dy meyn kynd bewt umb euch an ym treyt.
 Vergyst dy czer an vnderlas,
 Habt des clagen cheyne mas,
 Merkt, wer er zey, der gekreuczigt ist.
 Er ist meyn zun herr ibesu kryst.
 O ich gedenk, wy gar mit grosfer wunne
 Etwen zach ich yn dy clare zunne,
 Da ich meyn lybes chynd am arme trug;
 Da hatt ich der freuden vber gnuk.
 Ach wy hatt zych layder nu verchert
 Meyn zuser mut yn eyn scharfes schwert &c.

Librarium literis y et z singulariter additum fuisse oportet.

CCCCIV.

R. 2001 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 241. f. maj. per duas columnas caractere crasso, luculento exaratus, coloribus illustratus, olimque *Domus orti beate marie prope pragam Ordinis Carthusiensis* sequentia continet: I. *Incipit Liber ysidori. De figuris ueteris testamenti.* Prologus incipit: *Uenerabili et sancte sorori florentie ysidorus. Quedam myste-*

Ad compingendum Codicem adhibitae sunt improbe conscissae laciniae Planctus Deiparae in morte Filii rhythmis theoticis adornati, cujus initium adscribo:

ria que diuersis temporibus in ueteris testamenti libris prenunciata sunt &c. Sequitur Capp. Elenchus, quorum censentur LV. cum in Edit. Paris. 1601. f. p. 543. ad LXI. ascendant, cujus ratio est mira Exemplarium differentia, de qua jam Vol. I. P. 1. col. 962. et 967. et iterum hoc praesenti Vol. dixi. Integra enim Loca, quae in quibusdam praesto sunt, desiderantur in aliis, ut nihil de lectionis varietate dicam, cujus in hoc Codice specimen fit L. I. Epilogus: